



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. Quos spirituales fructus nobis affert character?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Baptismi. Cap. VI. 85
cando; quia hoc ipsum quod est detinere aliena, & proximum laesum non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis injungendum est, quod satisfaciant proximis & quod desistant à peccato, non est autem injungendum quòd pro peccatis prateritis aliquam poenam patiantur.

C A P U T VI.

De effectibus Baptismi.

Quaest. I. **Q**UINAM sunt effectus Baptismi?

Resp. Ex Divo Bonaventura, Triplex est effectus Baptismi. Primus characteris impressio: Secundus gratia infusio. Tertius Innocentio restitutio. *S. Bon. in 4^{to} dist. 4. art. 1. q. 3. 1. p.*

Quaest. 2. Quosnam spirituales fructus nobis affert character?

Resp. In Sacramento Baptismi, ait Divus Thomas, imprimitur character, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta; unde Baptismus dicitur esse janua omnium sacramentorum: Deinde distinguit fideles ab infidelibus, ut ait Divus Bonaventura; tum divinae nos participes efficit naturae. Divina Beatitudo, inquit Divus Dionysius, accedentem ad Baptismum in sui participationem recipit, & proprio lumine quasi quodam signo ipsi tradit suam participationem. *D. Th. 3. p. q. 63. art. 6. in corp. S. Dionys. de Eccles. Hierar. ch. cap. 2.*

Sanctus autem Ambrosius ait: Spiritu signamur, ut imaginem ejus & gratiam tenere possimus. Quod tamen intelligi debet de iis qui nullum obicem ponunt gratiae, characterem Baptismi recipiendo in statu peccati. *D. Ambro. lib. 1. De Spiritu sancto, cap. 69.*

D. Th. 3. p.
q. 63. art. 4.
ad 1.

Character, ait Divus Thomas, *directè quidem & propinquè disponit animam ad ea quæ sunt divini cultus exequenda. Et quia hæc idonea non fiunt sine auxilio gratiæ; ex consequenti divini largitas recipientibus characterem, largitur gratiam, per quam dignè impleant ea ad quæ deputantur.*

Quæst. 3. Quosnam fructus affert gratia Baptismalis?

Resp. Plures: Primus est delere omnia peccata tam originalia quàm actualia, ut prædixerat Ezechiel, cap. 16. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Idem asserit Eugenius IV. in Concil. Florentino: Sacramenti Baptismi effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis. Et, ut ait Divus Augustinus, Generante carne tantummodò trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.

Secundus effectus gratiæ Baptismalis, est quod nos hæredes efficiat æternæ salutis. Martini 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.

Tertius effectus est incorporatio Christo: Per Baptismum, ait Divus Thomas, aliquis incorporatur Christo quasi membrum ipsius: sicut autem à capite naturali derivamur ad membra sensus & motus, ita à capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritualis, qui est per gratiæ influxum: & ideo consequens est, quod baptizati illuminentur à Christo circa cognitionem veritatis, & fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiæ infusionem.

D. Aug. lib.
1. De Peccatis
meritis & remissione, c. 15.

S. Tho. 3. p.
q. 69. art. 5.
in corp.